

† R. P. Ioannes Schmied (1886–1931).

(Prov. Prag.)

Etsi R. P. Ioannes Schmied altis in Congregatione muneribus non est functus neque quadraginta quattuor vitae annis opera stupenda perfecit, tamen libenter eius breve necrologium Analectis inserimus; nam «multum facit, qui rem bene facit», et defunctus confrater quidquid oboedientia et caritas ab eo postulabant bene facere studebat. Praesertim caritate proximi eminebat, atque ad omnes eius defectus condonandos et excusandos adeo paratus erat, ut vel ipsum diabolum purgare velle diceretur. Qui autem amoris multum seminat, multum dilectionis metet.

Ioannes Schmied pridie kal. Dec. 1886 natus est, filius honesti agricolae, in Erdberg, Moraviae meridianaе pago. Puer gracilis iuvenatum Katzelsdorfiensem ingressus, diligenter studiis vacabat et collegii statuta religione ductus observabat. Finita classe VI Eggenburgum novitius venit ibique d. 15 Aug. 1905 vota Redemptoristae nuncupavit. Studia gymnasialia Leobii absolvit, philosophica vero et theologica Mauternae. Ibi eum pridie kal. Aug. 1911 Episcopus Seccoviensis, Exm̄us Leopoldus Schuster, ordinatione sacerdotali summo gaudio replevit.



P. Schmied, cum ob exiguas corporis vires ad opus missionum minus aptus videretur, a Superioribus in Haselstauden prope Dornbirn (Vorarlberg) missus est, ut pueros doctrina christiana institueret; in Austria enim Patres nostri saepe in scholis publicis catechistae munus administrare debent. Huic officio P. Schmied inde ab initio se valde idoneum praestitit. Amabat parvulos et ab iis redamabatur, et viginti annos sacerdotii totos inter pueros iuvenesque transegit.

Haselstaudiensi collegio a. 1915 a nobis derelicto, confrater defunctus eundem apostolatam iuventutis inter adiuncta multo difficiliora Viennae in regione XVII (Hernals) exercere iussus est et post quinquennium in Philippsdorf, in Bohemia septentrionali.

Ibi usque ad obitum mansit. Cum enim mense Aprili 1921 Germanicae domus novae reipublicae Cechoslovachae a Vindobonensi Provincia separatae essent, in optione singulis sodalibus concessa natalem terram elegerat, sacerdotum egentem, ut ibi inter Germanos laboraret.

P. Schmied nova semper quaerebat media ad catecheses parvis suis auditoribus magis gratas et utiles reddendas, neque dedecori sibi vertebat pro parvulis suis vel pro redimendis infantibus paganis pecuniam aliasve res, ut vestes aut libros, emendicare.

Quamdiu Philippsdorfii constitit, ergo ultra decennium, fuit etiam praeses sodalicii iuvenum a S. Gerardo nuncupati, et diligentissimus quidem praeses. Aliis quoque sodaliciis ecclesiasticis libenter operam suam dicabat, non abhorrens ab ullo labore aut sacrificio, et licet ea de causa quietis nocturnae magnam partem amisisset, tamen mane hora 5 cum reliquis confratribus meditationem pie obibat.

Philippsdorfii est celsbre sanctuarium, apparitione B. M. V. clarum, cuius Basilicae cura permultum laboris expostulat. Huic quoque labori, sive in confessionali sive in sacro suggestu exantlando, P. Schmied, qui omni petenti pro viribus tribuere consueverat, prorsus non se subtrahebat. Item caritas eius pagi aegrotantibus praesto erat, et feriarum tempore in vicina Saxonia aut Silesia parochis auxilio venire in deliciis habebat.

Aestate superioris anni cum in dies macilentior fieret, hoc nimiae defatigationi primum tribuerunt; at cum vomitus repetiti accessissent, exeunte mense Novembri nosocomium Ebersbach petiit, ut radiis Röntgenianis viscera perlustrarentur. Imago horribilis apparuit: stomachi maior pars cancro consumpta. Ergo miserum nil aliud manebat nisi lenta mors inedia quadam effecta; at cum ipse mali naturam ignoraret, paene usque ad mortem spem convalescendi servavit.

Postremos vitae menses partim in hospitali (ubi etiam chirurgica operatio facta, verum stomachus suae sorti relictus) partim domi apud confratres transegit, ubique verum religiosum se manifestans. Soror quaedam nosocomii Rauschwalde-Görlitz, ubi P. Schmied fere per mensem fuit,

de eo testata est: « Similem aegrotum, adeo nihil exigentem, hucusque non habuimus ». Eadem modestia ductus noluit postea domi confratres ad lectum suum vigilare, exceptis duabus ultimis noctibus. A Patre Rectore invitatus ad sacramenta ultima recipienda, statim se paratum ostendit. Postea confratri confessus est se libentem mori, atque id sibi solacio esse, quod semper erga SS. Sacramentum peculiariter devotus fuisset. Continuo sui compos, ultima vitae hora, mane 5 Februarii 1931, modo vere sacerdotali nonnulla conscientiam spectantia cum quodam confratre tractavit, et tum, sine agonia, quietus spiritum Creatori suo reddidit, ad recipiendam mercedem vita ærumnosa promeritam.

Quanti hic religiosus modestus ab omnibus aestimaretur, in eius exequiis apparuit; ingens enim hominum multitudo, nivibus frigoribusque non deterrita, convenit, a parvulis, quos defunctus tanta caritate instruxerat, ad deputationes multarum sodalitatum et magistratus civiles clerumque numerosum. Adm. R. P. Rector Brückner ad apertum tumulum brevi oratione R. P. Ioannem Schmied prædicavit fidelem amicum magistrumque parvulorum, ducem et consiliarium iuvenum, consolatorem aegrotantium, adiutorem ad omne servitium semper paratum, carum confratrem, sacerdotem zelantem. Etiam primus ludimagister nomine collegarum et iuventutis ex animo catechistae dilecto gratias egit, chorus autem cantorum commoventi cantico huic piaë animæ vale dixit. R. I. P. (1).
